




18398

Mag. St. Dr. P


C. LIBRARIUS
V. V. T. M. L.
C. A. C. D. B. R. B.




Biblioteka Jagiellońska

A standard linear barcode is located on the label.

stdr0000380





Illr^{mo} & Rnd^{mo} D^{ño}, *tkt
0573*

D. MARTINO
SZYSZKOWSKI,
Dei & Apostolicæ Sedis Gratia,
EPISCOPO CRACOVIEN. DV.
CI SEVERIEN. ACAD: SVÆ CANCELLARIO.
Domino & Patrono benignissimo,

*M. SIMON HALICIVS PROFESSOR
ELOQV: TYLICIANVS,*

Fælicem ad Ecclesiam Crac: ingressum
gratulatur.



CRACOVIA,

In Officina Lazari, apud Matthiā Andreouicñ.
Anno D. 1617.



18398. T.

VT Luna inuersum gladius qui diuidit orbem,
Hos tili fulget sanguine fac eus hebes:
Sic meritis Patriæ virtus attrita superbis,
Hinc atq; hinc arcu cinc ta triumphat ouans.
95

STANISLAVS GARLINSKI
Stud: Eloq.

ORATIO.



I quis fortè mirabatur IL-
LVSTRISS: ANTISTES, quid
esset, quòd in ipso splen-
didissimi illius viri Petri
Tylicij occasu, Tui potis-
simùm nominis recor-
datio in sensus ac cogi-
tationes vniuersorum ferè nobilissimæ isti-
us Prouincię ordinum influeret: Teq; opti-
mus quisq; sanctissimo illi Episcopo succes-
sorem, plenâ cuiusdam animi fiduciâ prædi-
ceret: is pfecto si in Tui in Vrbē ingressus
perrarum & in usitatum splendorem, men-
tis & oculorum aciem conuerterit, non si-
ne diuino consilio factum illud fuisse ani-
maduertet. Ista enim variorum hominum
occurrentium Tibi multitudo, hæc ex or-
dinibus florentissimis delecta lumina, effu-
sa principis cleri animorū significatio, flos
ipse nobilitatis frequentissimus, deniq; Se-
natoriæ dignitatis, ea quæ Te circūcingit

amplitudo, illustre est argumentum diuinatus immissæ receti honori Tuo illius præfagationis. Vidimus multos summorum virorum, in hoc pulcherrimum Regni Poloniæ domicilium venientium aduentus; nūquam tamen vberiorem lætitiæ segetem aspeximus, atq; dum Szyszkovivm Episcopum Cracouieñ intuemur: mentemq; hanc sapientiâ, vultum reuerentiâ plenissimum, omni quâ possumus obsequiorum studiorumq; deuotione veneramur. Quoquo' Te vertas, omnia Tecum iucundissima atq; florentissima veniunt, neq; ullus est in vrbe locus, quem vel fixum aliquod in publicis locis honoris Tui studium, vel ardens populi benevolentia magno, eoq; gratissimo clamore non cohonestaret. Nam cùm in Te pulcherrimè splēdeat præstans illa in omni genere virtutis species, illud diuinum honestatis lumen, illa incredibilis ad benerendum de singulis cupiditas, in cuius sinu omnium nostrūm præsidia atq; adiumenta continentur: quis erit etiam sine villa bo-

la bona arte, sine humanitate, sine ingenio,
sine literis, qui non existimet Tuam pietat-
em animi constantiam, sapientiamq; sin-
gularem, signa ad bene sperandum sibi e-
recta esse? Frustratur iam suo Præfule, cuius
tanto flagrauit desiderio, Cracouien. Ec-
clesia: miratur clerus omni laude cumula-
tissimi Episcopi propositam sibi ad expri-
mendum imaginem, gratulatur illustriori
loco positæ virtuti Tuæ Senatus, triūphat
ordo equester, ciuitas recreatur. Omnes
deniq; ad gratias Deo immortali agendas
conspirant, qui eam mentem SIGISMVNDO
III. dedit, quiq; eo` Pauli V. voluntatem in-
duxit, vt Tu potissimum succederes Tyli-
cio. Videris enim ex ijsdem radicibus, ex
quibus vir ille diuinus, non solum ad com-
munē salutem, sed & ad singulorum utili-
tatem propagandam natus esse: qui ita vi-
tæ Tuæ actiones formasti, vt primum hono-
re dignus esses, deinde existimarere: neq;
vnquam ambitioni beneficium; sed pro-
batæ virtuti testimonium quæreres. Quid

mirum, si tantus vndiq; Te ad nos véniente
concurrus, si tāta gaudiorum magnitudo,
vt quiduis homines perpeti, quām à Tuō
iucundissimo cōspectu arceri malint? Ne-
mo est in hac densissima populifrequētia,
qui non existimet suam incolumentem
contineri Tuā, & ex vnius Tui ornamen-
tuam pendere dignatatem. Idcirco enim
Te ad hunc honorem cuncti ascendisse pu-
tant, vt cuiusq; decus ac splendorem auge-
res; domesticaq; Tuā humanitate & bene-
uolentiā omnium humanitatem & studia
illustrares. Nostræ verò Academicæ lite-
ræ, cùm in Tuō patrocinio & autoritate
omnem quietis & tranquillitatis suæ spem
collocauerint, accurrunt vndiq;, atque in
noui istius splendoris Tui gratulatione, sin-
gularia quæq; pietatis ac obseruantiae stu-
dia effundere cupiunt: neq; cuiquam con-
cedere volunt vehementiorem de tuarum
dignitatum atq; fortunarum maximis in-
crementis lætitiam. Nō enim præsidio Ty-
liciano se spoliatas conqueruntur; sed præ-
terea

terea Szyszkoianæ benevolentiæ & sapientiæ accessione plurimùm sibi gratulan-
tur. Erunt igitur multi qui omnia tibi ampla & fælicia precabuntur, quiq; summâ
cum voluptate, festos dies Tui ad Ecclesi-
am Crac: ascensus peragent: & nos qui
magnâ prouidentiæ Tuę parte cōtinemur,
diem hūc amplissimo, pulcherrimoq; Tuo
honore celebrē, non omnibus studijs, vo-
tis, acclamationibus consecrabimus? Mi-
hi profecto in tā iusto tamq; debito cæte-
rorum gaudio, quæuis culpa potius, quām
silendi cupiditas est optabilior. non quòd
me Tylicij beneficentia & Academiæ au-
toritas Tuum esse voluerit; sed quòd altissimæ
virtutes, quæ ex omnibus factis, vitâ,
moribusq; tuis, pulcherrimos radios proij-
eiunt, velim nolim à me perpetuo Tui co-
lendi exigunt desiderium. Vultus ipse pro-
dit existimationem quandam tacitam pu-
doris ac religionis, mens casta ac integra,
non metum iudicij; sed spem illustris bo-
ni pollicetur. quæcunq; aut fortuna ho-
minibus

minibus, aut natura largitur, omnia in Te
cumulandum, atque ornandum, singulari
quadam liberalitate consenserunt. Itaque
etsi non vnius hominis virtutem; sed omnis
omnino honestatis, atq; dignitatis excellē-
tiam, mihi laudibus celebrandam intelli-
go: qui per illum nobilissimum campum,
in quo præclarissimæ actiones Tuę, ad eam
in qua positus es gloriam cucurrerunt, vo-
lo orationem meam ducere: malo tamen
in dicendo prodere inopiam aut ineptitu-
dinem, quām debitum Tibi meę obseruan-
tiæ studium non persoluere. Ignosce si ma-
ius mihi quiddā proposui, in quo mei quo-
que Academici, meę in Te deuotionis pro-
pensionem perspicerent: atq; patere, quæ
tua est benignitas, post diuinam liberalita-
tem, in tot splendidissimis bonis Tuis ado-
ratam, aliquid ex tanto virtutum Tuarum
Sole in meum quoq; usum decerpere. Ma-
gna enim mihi lux apud Te dicere incipi-
enti oritur, rerum maximarum cognitio-
nis, beneficentiæ, fortitudinis, grauitatis,
confi-

consilij, spectatæ in multis & magnis rebus
integritatis, inflamatæ in bonum com-
mune pietatis, & aliarum maximarum vir-
tutum, quarum Tu igniculos ex clarissimo
& antiquissimo nobilissimi generis tui splē-
dore, cum ipso adhuc ortus initio traxisti.
Loquuntur ipsa immortalitati fortissimo-
rum maiorū Tuorum consecrata trophæa,
qui & quāti viri ex gēte Tua fuerint, quām
bello acres, quām consilio graues. Quoties
illi pro Patriæ periculis in hostium imma-
nissimorum copias instructissimas profili-
erunt? quoties eorum fulgentes gladij, in
ceruicibus atq; capitibus ferocissimæ bar-
barorum multitudinis immersi, hebetudi-
nem contraxerunt? quoties viam suæ vir-
tuti ad pulcherrimū gloriæ fastigium ape-
ruerunt. Quid illustres illæ lunæ Szyszko-
VIORVM è rebus, togâ, paceque clarissimis
quantum nomini Tuō splendorē afferunt?
Hæc nimirum sunt vestigia maximæ illius
lucis, qua Tui progenitores inferiorū quoq;
aliarum stellarum honorem illustrabant,

B

atq;

atq; influxu bonorum exemplorum patri-
am charissimam optimis & fortissimis ci-
uibus reddebat fæcundiorem. Sub hoc
fælicissimo sydere Tu quoq; natus , statim
à puerō respondere nobilitati, pulchrum
existimasti. Est enim generosi animi , in-
telligere , non modo' communi voluntate
virtutis atque officij ; sed etiam magis ne-
cessaria ratione rectè honesteq; sibi viuen-
dum esse. Quid enim prodest gloriari, pa-
trem fuisse pulcherrimum , si ego turpitū-
dinis aliquā maculā inspergor? Fuit quoq;
donatum à Deo maximis Tuorum maiorū
in Repub: meritis, vt in te gloria domesticā
nullam admitteret obscuritatē: at illo ipso
tempore, quo pleriq; ob ætatis imbecillitatē,
quid sequendum, quid fugiendum sit, per-
spicere nequeunt : Tu ab ipsa indole pro-
pria informatus , pulchrè ostendere cæpi-
sti , qualis in ætate grauiori futurus es.
Scilicet vt generosæ arbores , cùm ab ipsa
terra rectissimè in altum ramos porrigunt,
quos fructus sibi agricolę debeat police-
ri, illo

ri; illo ramorum foliorumq; ornatu decen-
tissimo pr̄emonent: ita Tu cùm nolles pri-
mam illam ætatis viam , quasi desertam &
incultam horrere frondibus & virgultis
asperiorum consuetudinum , atq; ab illius
improbitatis cōtagio, quæ dandum aliquid
censet ætati, nec adeo laudat veram illam
& directam disciplinæ rationem, pruden-
tissimè Te seiungeres : iam parentum, iam
propinquorum ipem atque oculos futurā-
rum virtutum floribus mirificè recreasti.
Sortitus enim ingenij bonitatem, non ludis
aut iocis illibatum illum adolescentiæ flo-
rem dedisti ; sed pietati in primis, deinde ijs
disciplinis , quibus instructus, veræ sapi-
entiæ lumen in Ecclesiam Dei & honorē
atq; dignitatem in Rempub: inferres. O-
ptimus apud Te ludus fuit grauissimorum
atque probatissimorum virorum exempla
intueri, fugere luxuriam, laborem & pati-
entiam, glorię progenitores existimare, ra-
tionis vſu, orationis prudētiā, honestarum
actionum præstantiā cæteris antecellere :

B 2

Et cùm

& cùm multa Tibi licerent; ea tātūm probasti, quæ pudor, integritas, religio, & seuerissimi cuiusque viri probaret iudicium. Id nimirū Tibi fuit animi robur, & ea in virtutis cultum cōuersio, vt voluptatis omnes fucos respueres, omnemq; vitæ Tuæ cursum in honestissimis contentionibus conficeres. Non Te vnquam fatigatum quies ad ocium inuitauit, non remissio à labore abduxit, non æqualium studia ad tempus fallendum pertraxerunt. Sed cùm ad omnem seueritatem & dignitatem Te natum esse meminisses, illa Tibi fuit occupatio gratissima, quam laus condiret, quamque dignitatis cōmendaret pulchritudo. Nam cùm intelligeres proprium esse veræ nobilitatis studium, nouam quotidie virtutis gloriæque accessionem facere, nec quicquam ita dedecorum esse, atque relicto rerum magnarum conflictu in paruis confisteret, totū Te ijs artibus, quibus omnis elegantia, & omnis actio vitæ continetur, deuouisti. Porro cùm istæ sapientiæ comites

tum

tum demum venustatem atq; dignitatem
accipiunt, mouentq; approbationem eo-
rum cum quibus viuitur, si in dictis factis,
decorum quoddam innocētioris vitæ elu-
ceat: integrissimo & eloquentissimo præ-
ceptorī Wielogorscio in Academia Crac:
adhæsisti. Nihil enim ita pingit in animis
nostris admirabilē illam honestatis imagi-
nem, atq; virorum optimorum cōsuetudo.
Sensim enim pectori generoso instillatur
virtutis amor; & si frequenter aspiciat, au-
diat viros honestissimos, quasi quadam of-
ficij religione deuictus, non potest ab ho-
nesto declinare. Igitur nihil Tibi iucundius
erat, quām ab ore disertissimi Wielogor-
sciij & morum simul & orationis puritatem
sugere. Cuius in Te propensissimæ bene-
volentiæ, quantum reliquisti desiderium,
cūm Te Petrus Myśkouius Episcopus inte-
rim Płocēsis, vir ab ipsius sapiētiæ stirpe ge-
neratus, vsu in Repub. auditione, lectione,
literis excellentissimus; hic, inquā, vir cūm
Te tuumque ingenium aspexisset simul &

probasset, in aliud Te solum transtulit, ex
quo vberiora sumeres alimenta. Iudicabat
enim prudentissimus Senator, illud inge-
nij & iudicij Tui lumen non in paruam do-
mum aliquam, sed in amplissimam ciuita-
tem destinatum esse. Mittit Te in Italiam
ad illa doctrinæ elegantioris præcipua suo
tempore ornamenta Manucios, Muretos,
Carolos, Bencios, quorum consuetudine,
ea quæ domi iam in admiratione cæperant
esse, fierent ampliora. Tu vero cùm om-
nem doctrinam hanc ingenuarum & hu-
manarum artium uno quodam societatis
vinculo contineri didicisses, noctes, diesq;
in omnium artium meditatione versabare.
Legisti omnē ex Poëtis iucunditatē & gra-
uitatem, excusisti historiam, percepisti di-
uini & humani iuris notitiam, omnem an-
tiquitatem, Senatoriam consuetudinem,
Rerumpub. ortus, progressus mutationes,
interitus, & in quo colendo vitæ cuiusque
sita sit honestas, in quo negligendo turpi-
tudo, acutissimè intellexisti. Rem vniuer-
sam

sam tribuere in partes, latentem explicare
descriptionibus, ambiguā intelligere, mox
distinguere, quæ se vicissim consequen-
tur quæ repugnarent, quæ vera quæ falsa
essent, & spinosissima, quæque ex media
Chrysippi disciplina, siue in aduersarium
torquere, siue deuitare fæliciter potu-
isti. Quid lineamenta, formæ, interual-
la, magnitudines Geometrarum? quid cō-
uersiones cælorum, ortus & obitus syde-
rum commemorem? Nulla fuit naturæ
obscuritas tanta, vel in terræ visceribus ab-
dita, vel admirabili elementorum tempe-
rie inuoluta, quam tua docilis solertia non
quæsisset & confecisset. Atq; ut magnâ re-
rum syluâ generosum tuum pectus onera-
sti, satisq; Te iam habere adiumenti ad di-
cendum & iudicandum laudatissimorum
virorum iudicarunt iudicia; quorum Tu il-
la tanquā in vermiculato emblemate stru-
cta verba, & illa sententiarum lumina ora-
tionis splendidissimo auro inclusa, illam re-
rum plurimarum suavitatem, copiam, va-
rietatem

rietatem mirari, & in memoriæ diuinæ mo-
numentis consignare solebas: ad sanctioris
Philosophiæ studia, singulari ingenio, rarissi-
mâ modestiâ, morum comitate viam tibi
aperuisti. Quis enim Tuum illud incredibile
discendi desiderium non amaret? quis
illa loquendi aut differendi eruditissimâ
consuetudine non caperetur, si doctissi-
morum per Italiâ virorum poteras in Te o-
culos conuertisse? Indoluit enim Latinarū
literarum gloria, aspecto iuene ex horri-
dis olim bello regionibus, qui tantam re-
rum magnarum spem de se concitaret, quæ
homines eruditæ Romæ, Senis, Bononiæ,
non solum audire; verum etiam libenter
audire cupiebat: cuius integritas inter tot
iucunditatum occasiones, nullis blanditia-
rum insidijs, nullisq; corruptissimæ famili-
aritatis persuasionibus poterat ab instituto
cursu deduci. Quo facilior Tibi aditus fu-
it ad illam disciplinarum arcem, quæ non
iam in corpora imperium habet, non amplissimis Rebus p. leges & iura præscribit,
non

non modo` propulsat innocentium iniuri-
as , afflictis perfugium affert , scelerum pa-
tratoribus decernit supplicia : sed pr̄terea
in animum , cuius libertas & dignitas cælo
ipso maior est , regnum sibi usurpat ; vt per-
purgatum , excultum , exornatum cælesti-
um incolarum fælicitati inferat . Quid-
quid usquam rerum est , in hoc vastissimo
vniuersitatis , theatro , ei subiicitur : imo` ,
quod est maximè admirandum , ipse Archi-
tectus nobilissimæ istius fabricæ in po-
statem eius voluit concedere . Huius adeo`
sublimis scientiæ , tanta est puritas , vt eam
sine periculi metu nulla audeat impuritas
attingere . Ut enim qui ægriori oculo ra-
dios lucidissimi solis aspicit ; ita qui ægrot-
tum animum , hoc est , aliquâ impuritatis
labe contaminatum ad studium Theologi-
cum affert , sponte miser ruit in perniciem ,
omniq̄ue profectus spe excidit : cum enim
lux non nisi luce percipiatur , purum esse o-
portet , qui ad lucē accedit . Tu vero cùm
multo` ante corpus & animum à leuissimi

C

etiam

etiam errati suspicione remoueres, iamq; mens Tua excellēs supra se eleuata, longius in rerum altissimarum contemplatione progressa, non iam varijs rerum speciebus distrahebatur, non vlo inferioris partis motu exagitata, liberè in omnem excelsiore cogitationem exibat: reuelatæ doctrinæ, & religionis sacrosanctæ mysteriorum Oceanum innauigabilem cōscendisti: Nō enim poterat ingenij Tui magnitudo, ijs inferioribus disciplinis contineri; quæ licet utilitate aut dignitate cælum ipsum attingant, animum tamen ad res magnas concitatum non exsatiant. Qualis erat Tuus qui non sibi, sed multis alijs perpetuā cogitatione inquirebat, varia ad salutem præsidia. Erubuit manere sub monte cum populo, secutus est alterum Mosen in montem hūc pinguem & coagulatum: Mosen, inquam, omnibus Aegyptiorum disciplinis, Græcis, præterea Hebreis eruditum, qui tēporibus illis Romæ ex illo diuiti cornu copiæ, ex illa puritate sanctioris vitæ, cælestis sapiētie fluui-

fluios effundebat, Robertū Bellarminū.
quem non solum propter plurimas literas
interiores & reconditas, propter incredibi-
lē vitæ sanctitatem; sed præterea ob
immortales labores atq; singularia in Ec-
clesiam Dei merita iudicio & cōsensu vni-
uersi Christianorum orbis, Magnus Roma-
norum Pontifex in purpuratorum Patrum
amplissimum ordinem cooptauit. Huic
Tu doctori & eius grauissimis disceptatio-
nibus iusto tempore aures & animum de-
deras, hunc intentis oculis admirabare,
cum in frequentissimā maximorum viro-
rum multitudine acutissimas illas hæreti-
corum argutias refelleret, aut in eorum
audaciorem maledicentiam amētatas en-
thymematum hastas contorqueret. Ille
fuit dux & autor, vt aspiceres, quātum fas
est homini, illum splendorem, cuius tene-
bræ sunt latibulum: illo monitore attigisti
humilitate principij expers, & principiū,
& id quod est cum principio vnum esse
D̄cūm, eumq; supremum omnium rerum

creatarum , & ipsius hominis finem & fæ-
licitatem . Complexus es omnia quæ ad
eum ducunt vel ab eo retrahunt : adorasti
& imperceptibilem hominis & Dei vniōnē
in Christo mediatore . Neq; quicquam ef-
fugit ingenij tui aciem aut diligentiam ,
quicquid in vita illius admirandum , quic-
quid in mysterijs ab eo institutis secretum :
deniq; quidquid ad Ecclesiæ regendæ mu-
nus occurrit aptū , tam ex magnorū Theo-
logorū disputationibus , quām ex Sacrорū
Canonum oraculis , responsis Pontificum ,
rescriptis Imperatorum , Consilijs Iurispe-
riorum collegisti , in memoriam posuisti ,
vſu confirmâsti . Nempe diuinus te impel-
lebat Spiritus , vt in ea diligenter incum-
beres , quibus aliquando prodeſſes Eccle-
siæ Episcopus , aut quibus vel florētem or-
nares Remp. Senator , vel in periculum in-
clinatæ prudenter succurreres . Non enim
rectè illi facere videntur , qui priùs ad do-
cendum tanta cum festinatione procur-
runt , quām aliquid eorū quæ docturi sunt ;
perfe-

perfectè didicerint. Nam si parua hæc &
contemnēda propagare, antequam ea ipse
in succum & languinē verteris, ridiculum
est, quid diuina illa magna & sublimia do-
cere? quām periculose, nisi fuerint au-
ditione diligentī comprehensa, exercitio
quotidiano contrita, & iudicij maturitate
concocta: Tu vero cūm te armares omni-
bus præfidijs in bonum aliorum, quę soler-
ti cura, industria, labore, diligentia, ad vi-
tam pię sancte q; ducendam comparaue-
ras, id in ipso vitæ usu ostendere, omne q;ue
virtutis decus cum doctrinæ laude cōiun-
gere voluisti. Ut enim limpidissimam aquā
bibere, alijs vero perturbatam lutulentis
pedibus porrigere, extremæ cuiusdam est
ferocitatis: ita qui è purissimis veritatis
fontibus hauriunt sapientiam, si optimarū
mentium studia pessimè viuendo corrumpunt,
crudelissimi sunt habendi. Enimue-
ro cūm scientia sit donum Dei, ad Ecclesiæ
& Reipub. boni amplificationem conceſ-
sa, nefas est ita illam accipere, vt in alios

venena diffundas. Quid dicam si ipsi pos-
sessori venenum est? Docent tamen viri
magni, nullum esse certius argumentum
indicti Deo belli, atq; pessimo vitæ exem-
plo, doctrinæ sanitatem vulnerare. Quis
non moueatur ad peccandum, si viderit vi-
rum scientia celebrem in omne dedecus
sponte prolabi? scilicet disciplinā boni pa-
tris familias modesta familia cōmendabit;
& ille bonus iudicabitur, qui assiduè cum
improbitate sua familiarissimè conflecta-
bitur? Non est hæc scientia Dei; semper
enim Deo dissidium oris & morum disipli-
cuit: Sed vt regiam dicimus esse supelle-
ctilem, si quid præter auri & gemmarum
splendorem insignem ostentat artificis in-
dustriam; ita cælestis sapientiæ propriissi-
mum est illud germen, quod virtutis pri-
mùm auro, deinde scientiæ varietate ex-
ornatur. Artes enim externæ sunt de-
lineationes in virtutum gemmis, vt orna-
menta quædam ad maiorem eorum largi-
toris gloriam. Hærebat hoc in sapientia
Tua,

Tua , Illustrissime Præsul , qui nunquam pluris fecisti doctrinam, quam virtutem , quiq; exemplo Magni Patriarchæ dexterâ transpositâ tradidisti, imperium iuniori in maiorem, hoc est, virtuti in antiquiore fætum scientiam. Viderat hoc qui Te paulo antè è complexu suo dimiserat in Italiam laudatus Senator , & eo tempore Episcopus Cracou. Myscouius. quantam ille cæpit voluptatem ex Tuō fælici reditu in patriam cum tot bonis omni auro preciosioribus? quæ cōgratulatio virtuti Tuę facta? quæ gaudia in Ecclesiâ celebrata , cùm aspectaret Cracouien. Sacerdotij Collegium, tam excellenti ingenio ornatum iuuenem , accedere suo ordini. Ut enim intellexit sapiens Myscouius, omnes Tuas cogitationes , omnia consilia Deum spectare , non passus est virtutem tuam alterius cuiusquam ornari testimonio. Ipse, ipse, primum in hoc aditu ad splendorem Senatorium collocauit, atq; veluti exemplum aliquod boni & pij sacerdotis proposuit. In

Te enim

Te enim mirabantur cuncti supra hominē
erectam & omnibus purgatam affectibus
dignitatem Sacerdotis, dum quoties stares
ad altaris mysterium, videreris in ipso Em-
pyreo cælo astare maiestati diuinæ. Ita re-
uerenter, ita humiliter, ita ardenter pro Te
& pro populo Dei offerebas dona cælestia.
Tu idem, si fortè in terram vocauit Te ali-
qua necessitas, tantâ cum dexteritate &
dignitate res tibi commissas egisti, ut mira-
rentur multi, quomodo res inter se maxi-
mè dissidentes, diuina contemplandi, &
cum omnibus, sine vlla offenditionis suspici-
one, conuersandi aptè coniungeres. Vide-
mus plerumque eos, qui vacando gustant
quàm suavis fit Dominus, vbi in aliquam a-
ctionem exierint, ad ipsa principia more
equorum in solem eductorum cęcutire: at
ex Tua pietate, ex illo perpetuo contem-
plandi studio spontè prodibant illæ, quæ à
moribus, & consuetudine nomen ducunt,
virtutes valde admirabiles. Si quid occur-
rebat in vita fugiendum aut expetendum

Tuce-

Tu celerrime videre & explicare rationē
potuisti : si quid controuersum interpre-
tatione iuris opus habuit, lumine sapientię
illustrasti, fide & benevolentia cōposuisti,
vt passim vir bonus, ab animi candidi in o-
mnes effusione appellareris. Nihil vñquā
admiratus es, nisi quod honestum deco-
rumq; fuerat: nunquam ob res humanas,
voluptatem, pecuniam, & quidquid alij
magnificum putat, à statu naturæ, à digni-
tate Sacerdotis discessisti, nihilq; ita Tibi
fuit alto loco positum, quo splendētis vir-
tutis Tuæ conatus non posset attingere.
Quod robur animi atq; cōstantiam excel-
lentem admiratus Myscouius, maiori flam-
ma ad Te amandum succensus, dedit Tibi
prærogatiuam suæ voluntatis, vt illas inge-
nij Tui ac iudicij nobiles prærogatiuas ex-
ornaret. Posuit Te in loco excelsiori, ex
quo plurib^o Tua bonitas magnitudoq; ani-
mi luceret: fecit Te suum Cancellariū, ma-
num, cor, mentem suam: Ecclesiasticæ Iu-
risdictionis autoritatem Tibi cōmunem red-
dit,

D

didit, Ecclesiarum regiminis curam, iudiciorum faciendorum potestatem, iniuriarum, æquitatis cognitorem constituit. Ad Te veniebat oppressio miserorum, Tu lamenta viduarum excipiebas, Tu calamitorum detergebas lachrymas, Te patronū innocentium vocabant, Tuum latus pro iustitia contra improbitatis potentiam poscebant: neq; quicquam fuit Tibi iucundius, atq; paupertatem multorum beneficētiā & liberalitate Tuā erigere, dare salutem afflictis, temere audaciam, omnes neruos ærtatis & industriæ in persequenda improbitate consumere. Quæ tum studia hominum, quæ opinio, quæ expectatio, qui concursus multitudinis, quoties Cancellarium ad subsellia ingredientem viderunt? innocentia enim Tua singularis tacitus ab accusatorum licentia vitæ rationem exposcebat, bonos autem spe recreabat. Habiisti semper in consilio tēgem, religionem, æquitatem, fidem: odium, metum, cupiditatem fugere, licentiam omnem amouere,

mouere, maximi aestimare conscientiam,
quæ a nemine diuelli potest, hæc erant
quasi symbola & insignia dignitatis Tuæ.
Quem laborem & molestiam ferre, et si
stomachi plenissimum sit: multum enim
vigilare, multum scribere, respondere, mul-
tis cauere, multorum stultitiam perpeti,
arrogantiam perferre, & omnino ad alio-
rum viuere arbitriū Te oportuit; ne par-
uum tamen commoti animi signum, in illa
incurrentium negotiorum turba, dedisti:
omnia in Te plena humanitatis, plena be-
nevolentiæ, plena studij apparuerunt. Cui
muneri cùm Te exemisset immaturus Tibi
semper decessus Tui Myscouij, neq; Rad-
ulus vir genere, vitæ sanctitate, studio, me-
ritis in Ecclesiam illustris impedire vellet
Tua iam bene concepta de rebus grauissi-
mis cōfilia, aliquantum ab illis iudiciorum
molestijs respirasti. Fuit vero iucundissi-
ma Tua respiratio in cauernis macerijæ, in
illis misericordiæ diuitijs, nullâ intelligen-
tiæ, aut orationis vi attingendis, in illa per-

fectione virtutum , atq; plenitudine grati-
arum omnium,in vulneribus (inquam) Dei
crucifixi. In his non satis habuisti reperi-
se pio amorī Tuo magnificū in quo suas po-
neret delicias tabernaculum, nisi alijs quo-
que ad tam salutarem fontē iter monstras-
ses & aperuisses. Quæ ibi solatia? quæ cha-
ritatis accensio , ex illa infinita charitatis
flamma,in qua Tuæ conquiescebant cogi-
tationes? quām iucunda illa vox spōsi:*Vul-
nerasti cor meum soror mea*: sed quorsum est
demergi in ipso voluptatis torrente , si ca-
reas socio, qui particeps fuerit tuæ lætitiae?
quorsum reperire preciosam margaritam
nisi congratulentur amici? Excitas igitur
incendium amoris in Deum , paras pietati
stimulos, ardori duraturo flabella,instituis
inducere in magnam domum D. Franci-
scus dicatam vexillum passionis Christi, at-
que vndiq; viros pios & deuotos conuoca-
re, qui Tecum vnā, grata recordatione in-
effabilis beneficij, compatiantur Domino.
Cæterū illa oblectatio Tua intermitti,
& ad

& ad plurimorum salutem cogitata consilia paululum differri debuerunt; ut eo' ilustrior esset virtus Tua, quo' grauioribus negotijs implicata, res tatas aggrederetur, & pficeret: Bernardus enim Macieiwski simul ac Ecclesię Cracouiensi, post magnū Cardinalem Radiuillum, successit, iterum te Cancellariatus honore inclusit. Quid ageres cum illa bonitate hominis? quem pietas ipsius non expugnasset? quem autoritas vitæ sanctioris non permouisset? q̄s illi splendori liberalis voluntatis, & iudicij de virtute cuiusq; restitisset? Dolenter quidem, relinquis tamen cæptum ad immortalitatem negotium: sequeris Deum in Episcopi voluntate, maioremq; affers ad secundum certamen animum. Ita plerumq; viri fortes post editas multorum hostium strages, collecto in statuis robore, acriores multo' in campum redeunt: ita & Tu spectatus ante in Cancellariatus officio, resumis ex breui quiete vires, instauras cursum magnarum virtutum Tuarum, pro

uocas in aciem improbitatem ; iniustitiam
cupiditatem , tanto ardentius , quanto ex
illa quiete laboriosa confirmator , ad fran-
gendum & perrumpendum omne genus
potentioris iniquitatis reuerteris . Non fe-
rebat malicia fulgorem integritatis atq ; in-
nocentiæ Tuæ , cùm ingredereris ad sanctū
iustitiæ tribunal , repetitus à multis vitæ
rationes : & quid cuiq ; deberetur ex sacro-
rum canonum autoritate redditurus . Nul-
lus Te iudiciorum teruit labor , nulla affli-
xit laboris asperitas , nullus insolentiæ in-
cursus à statu rectæ rationis dimouit . Le-
gere fuit in oculis iustitiam , in fronte ani-
mi constantiam , in vultu æquitatem , in o-
mnibus Tuis actionibus illam omnis admi-
nistrationis bonæ fideliissimam custodem ,
legum seueritatem . Nemo Te sciente in
patrimonium Christi inuolauit , nemo Te
audiente pupillo lachrymas excussit : non
solutorum impudentia , nō obducta mens
hæreticorum , non fænectorum cupiditas
caput audebat in Tuis subsellij attollere .

Gra-

Gratum id fuit spectaculum sapientissimo
Cardinali , cuius cor in Ecclesiā dilataue-
rat excellēs pastoris charitas. Neq; iam ali-
ud votis suis Tui & gregis Dominici aman-
tissimus Episcopus cōcipiebat, quām vt Te
in paucis fidelem supra multa constitueret
supremus ille pastor. Atq; ita secum tac-
tūs frequenter dicebat: Domine ecce al-
ter tuus Martinus quē in candelabro tuæ
Ecclesiæ ponas, vt tuis luceat domesticis:
ille cathechumenus adhuc , quām grata
veste contexerat corpus tuum: hic Epi-
scopi Cracouiēsis Cancellarius, quod cer-
tamen nō suscipit pro tuo populo, vt quo-
tidie fidelior inueniatur? Inter hæc vota
sanctissimi viri ecce in foribus Regiæ Ma-
iestatis literæ, quibus inuitaris ad Luceori-
ensem Episcopatum. O factum bene, o
iudicatum sapienter, o vtiliter postulatum
& benignè acceleratum. Luceoria enim
non ita pridem summis Macieiouij labori-
bus ē medijs Schismaticorum scopulis in
portum Catholicæ vnionis extracta , vix
ab in-

ab insidijs & machinationibus inuidiæ in-
tegra mansisset, nisi in alicuius fortis & sa-
pientis gubernatoris cessisset potestatem,
qui & robore sui animi teneret infirmita-
tem, & pertinaciæ prudentiâ & generosi-
tate par esset. Talem Te ex illa procreatri-
ce Episcoporum, ex domo & conuictu o-
ptimi Cardinalis omnes fore conclamant:
ipse MACIEI OVIUS hoc nuncio mirificè de-
lectatus, prouidetiam Dei multum laudat,
& ne in tam illustri voluntate diuina, plu-
ris facias rationes Tuas vel commoditates
Nota
priuatas, quam lucrum animarum, aut
Reip. cura, disertissimis verbis persuadet.
Hic ego iterum redeo, quia & Tu redis ad
gloriosum factum Tuum, cuius monumē-
ta æternitatem spectatura, in æde D. Fran-
cisco sacra, fixisti. Prodit iam fructus ille
magnanimitatis & sapientiæ Tuæ, pietatis
cælestis, colligunt multi causas anteacto-
rum itinerum Tuorum, sumptuum magni-
tudinem; cælari iam nō potest ardens Tua
contentio, ad inducendam feruentiorem
grati-

gratitudinem illius nostri liberatoris beneficentiae, cuius liberalitate in Crucis ligno, factus nobis per omnia, praeter peccatum, similis, ex ipsius misericordiae visceribus cum sanguine effuderat in peccatores, ingratos, inimicos. Praetulerim ego vnum hoc factum Tuum omnibus Camillorum, Scipionum, Marcellorum superbis monumētis. Nam si magnae laudis est, & esse, & velle videri gratum in eos, quorum beneficio perceptimus vel fortunas, vel dignitates: quanta virtus est, ducere ad illud pietatis studium, quo beneficia nullā oratione explicanda, nullā intelligētiā vi comprehendenda, continetur? Multo' credibilius est, diuinatus illapsā fuisse hāc cogitationem sanctam in castissimam mentem Tuam, quam illud veteris Romanorum imperij pignus, quod fabulatur antiquitas, in sinum Regis Numæ decidisse. Hoc enim ancili sacro, hac pelta diuina crucis Christi, quam veneramur Christiani, multo' verius firmantur & florēnt imperia. Quis erit tam grauis aduersarius

E

sarius

Qua
sarius, cuius potentiam timeamus: quod imperium poterit esse diurnius, atq; vbi vexillum hoc, & ipse imperator in eo extensus cum splēdidissimis vulnerum signis nobiscum est in custodia. Non enim dictū semel Constantino: In hoc signo vinces: dicitur quotidie ei quicunq; professus est Christianū: Cum hoc signo vinces, florebisq; in omnibus tuis actionibus. Ea est enim vis nobilissimi istius ligni, quod frumentum suum dedit in tempore suo, ut quemque sub umbra alarum suarum cōmorantem incredibili perfundat iucunditate, protegat securitate, augeat fælicitate. Probandum erat id socijs & cohortibus Tuis, qui vexillo Christi passi erecto ad compatiendum suo Domino accurrerant: probas exemplo Tuo, Dux magnanime. Cum enim Te infula spectaret, cùm sella Senatoria virtutē Tuam posceret, memor doctrinæ ex tertio cælo discipuli, qui gloriam nostram ponit in cruce Domini, extruxisti verissimæ isti gloriæ theatrum in domo illius,

Ius qui tali gloriâ nihil habebat gloriosius.
Subdidisti toties calcaria incitatis ad eam
laudem animis , tum ipse , tum per viros in
dicendo summos, qui admirabili orationis
copia sub aspectum ponebant : Nullas esse
preciosiores Christianorum diuitias , nul-
lum illustrius argumentum diuinę erga ge-
nus humanum bonitatis, atq; hāc in cruce
Dei & hominis testatā voluntatem. Et ad-
huc nos titillabit inanis hæc superbarum
imaginum arrogantia , si Filius Dei sponte
properat ad supplicium iustissimus pro in-
iustissimis ? Hæc Tu Religiosissime Sacer-
dos, vocatus ad culmen honoris, quo` dili-
gentius consideras , eo` periculosiorē ani-
marum curam perhorrescis. Quis non per-
horresceret, cui in mentem venit Domini
exemplum ? qui cùm sine vlla laboris aut
periculi molestia & metu eos regere pote-
rat, quos creauerat ; maluit tamen tribu-
lationum in paupertate summa copiam ,
quām voluptatis in magna fortuna afflu-
centiam. Quippe toties à turba populi quæ-

Prima
situs in regnum declinatuit: in crucem, in
mortem crudelissimam à sceleratissimis
hominibus appetitus, sponte vitam obtu-
lit. Tibi id dictum, Tuâ causâ id factum
fuisse, prudentissimè animaduertebas, si-
mulq; suspectas esse nimium voluptatū il-
lecebras, salutares calamitatum incursus
colligebas. In illis proxima est ad sui obli-
uionē via, in his velit nolit, agnoscat quisq;
se ipsum necesse est: in illis anteactæ vitæ
collecta industria perit, his negligentior
ætas corrigitur. Pleriq; enim qui in com-
moditatum omnium regno animi caliginē
contraxerunt, in aduersitatis exercitio lu-
cem accipiunt. Magna certè hic arena Ti-
bi fuit proposita, dum hinc periculi proprij
metu arceris, illinc boni communis studio
excitaris ad honoris gloriam. Succurrit il-
le qui amore nostri noluit de cruce descen-
dere, donec omnem suâ charitate confun-
deret nequitiam, omnemq; diffidentiam
à suorum animis tolleret. Eredit mentem
Tuam, confirmat gratiæ nouitatem, monet

vt exem-

ut exemplo sui nudus in palestram, quæ Ti-
bi ad æternitatem promerendam obijci-
tur descendas. Nudauerat Te iam libera-
litatis Macieiouianæ admiratio omni ad pe-
cuniæ cupiditatem affectu : hostem Te
profiteris ei, quisquis honestati fuerit ho-
stis, nescis abripi iracundiæ flammâ, non
ambitionis fumus turbat oculos Tuos, de-
serit te omnis de carne & sanguine solici-
tudo. Quid multis? Nudus stetisti: quia
Te succenderat ardentissima in Deum, in
Ecclesiam ipsius, in proximum charitas.
Vt enim quos febricula, aut inimicum ali-
quod frigus occupat, multas solent agge-
rere vestes, qui sudant, vix interulam, quæ
corpori adhæreat, relinquunt: ita qui ab
igne isto diuino longius recesserunt, Deus
bone, quibus auxilijs, quantis opibus, quan-
tâ supellestilis copiâ, quibus imaginibus,
honoribus opus habent? quos melioris
ignis flamma corripuit, etiam necessaria
abijciunt; vel si diuinæ virgulæ liberaliore
manum experiuntur, cor remouent, aut

ex cōfilio Dei in egentiores fiunt munifici.
Horum Tu propositi præmij amplitudine
inflammatus, domesticæ virtuti positos an-
tea terminos disjicis, atq; ad veterum Epi-
scoporum gloriam summâ vi, studio, dili-
gentiâ contendis. Incurrit in aciem splen-
didissimæ mentis Tuæ hostium vndiq; cir-
cumstantium infinitus numerus, cuius in-
geniosæ insidiæ omni armorū terrore sunt
periculosiores. Tu more generosi athletæ
exuis Te ad luctam, maiorisq; gratiæ oleo
perunctus, magno & fortí animo nouos
Tuis virtutibus ascensus paras. Maior iam
in Te refulget prudentia, vt periculorum
laqueos euadas: mirabilior transtandorū
animorum peritia, vt quemq; Tuorum me-
liorem efficias: fortior constantia, vt par-
sis in vtriusq; fortunæ incursione: vitæ or-
natus multo pulchrior, vt alijs stimulos ad
studium honestè viuendi iniicias. Nam
cùm animaduerteres Te in speculis consti-
tutum esse, vt obseruares, quemadmodum
se in retinenda religione, in conseruandis

legibus

legibus commissi Tibi populi gererent:
principium erat dignitatis Tuæ, domum
veteris disciplinæ seueritate reddere com-
mendatissimam, ut quisq; existimaret co-
mitatum Tuum esse omnis honestatis con-
tubernium. His baccatis monilibus, his
preciosis gemmis exornatus, cùm ingre-
deris Tuam Luceoriam, omnium in Te stu-
dia concitâsti. Effudit se vniuersa regio in
aspectum noui Episcopi, non ætas pueros,
non virgines consuetudo, non matronam
grauitas, non patrem familias domesticus
labor, non seruos imperium, domi retinuit.
Omnes videre cupiunt suum Sacerdotem:
elegantiorum quisq; vicissim quærit: Iste-
nè est Szyszkovivs quem docta Italia Po-
lonis inuidebat? hic ille qui contra anonymum
equitē stetit pro innocentissima So-
CIETATE cum defensione acerrima? hic lau-
datus apud Macieioum nostrum Cancel-
larius? Ipsa Schismaticorum saxa, ipsæ co-
loniarum syluæ, & animorum solitudines
voce & gestu respondebant, in maximorū
bono-

bonorum spem. Tuæ bonitatis atq; sapien-
tiæ opinione erectæ. Tu vero ut colle-
ctam in hominum animis expectationem
conseruares, & reliqui temporis spem ma-
joribus indies argumentis confirmares in-
primis laborâsti. Tuæ fuit excellentis pru-
dentiæ, quid deceret, non quantum lice-
ret, cogitare, cum magnitudine animi,
tum liberalitate, vitâ, consuetudine, diu-
turnam & iucundam Macieouij memoriâ
æmulari, religionem propagare, pios & e-
ruditos viros beneficijs allicere, allectos
ornare, ornatos benevolentia & humani-
tate ad bene merendum de Ecclesia inci-
tare: nihil aliud præter honorem Dei, vir-
tutis cultum, boni communis utilitatem
quærere, resistere improbitati constantia,
vincere temeritatem sapientia, infirmitati
subuenire humanitate, odia extinguere
placabilitate. Gessisti præclarè susceptam
cœlestis medici personam, nec infirmorum
valetudinis, nec tuæ securitatis oblitus. Ni-
hil frequentius intuebare, præter id, quod
est in

est in Episcopo præstantissimum , quodq;
maxime optabile in viris ad aliorum bonū
destinatis , vt animas precio inæstimabili
comparatas mundo eriperes , Deo dares ,
imaginem Christiani hominis , aut fulgen-
tem teneres , aut conspersam tergeres , aut
obscuratam suo splendori restitueres . In
quo sanè eluxit admirabile ingenij , iudi-
cijq; Tui lumen : Quid quæso ita difficile
est , atq; cupiditatum & affectionum inter
se dissidentem varietatem vno coniuncti-
onis vinculo astringere . Ut enim non ea-
dem antidota , non eadem nutritio cor-
porum diuerso habitui ; ita nec animorum
inclinationibus varijs conuenit eadem di-
sciplina . Alium permouet oratio , alius
exemplo ducitur , hunc freno tenere , illi
subdere calcaria opus est : nonnullorum
industria crescit laudatione , cæteros ad of-
ficiū grauis obiurgatio reuocat : imo` quod
vni fuit hodie austерum , aut salutare , cras
eidem lene aut periculose potest acci-
dere . Nec tenui flexione inclinauit se ad

F

errorem

errorem inter péricula Tua sapientia , ser-
uasti illud non tam Philosophorum , quan-
tum Christianæ discretionis paucissimis cogni-
tum medium summo cum fructu plurimo
rum. Fatentur non pauci se Tua impulsos
diuina eloquentia ad frugem meliorem re-
dijisse , consuetudines antiquas proieccisse ,
libidini , cupiditati renunciasse : sunt qui
mansuetudine & clementiâ Tuâ vitæ an-
teactæ libertatem correctam esse prædi-
cant , suavis est apud alios cicatricum a Te
relictarum memoria. Sciebas ciuilium di-
scordiarum nuncios præcidere , luxum &
licentiam altioris generis verecundiæ fini-
bus cohibere , barbariei reliquias sensim
tollere , superstitionis vanitatem in religio-
nis veritatem commutare , hæresum despe-
ratam insaniam conterere , nutantem sen-
sim ad ouile Christi deducere. Quis dice-
do consequi , aut celebrando exornare po-
terit immortalem factorum Tuorum glori-
am , quæ nō in Poëtarum carminibus , nō in
annalium monumētis , sed in ipsis præstan-
tissimorum

tissimorum hominum actionibus memo-
riæ suæ posuit æternitatem. Quidquid in
illis regionibus literarum, elegantiæ, pie-
tatis, morum optimorum propagatum fu-
erit, totū id, in Tui nominis redundabit im-
mortalitatem, qui Ecclesiam Scholamque
Luceoriēsem multo quā acceperas red-
didisti ampliorem. Ad expurgandam enim
impietatem, ad poliendam barbariem,
profligandam temeritatem, extirpandam
animorum duriciem, eos induxisti viros,
quorum singularia in Ecclesiam, & in am-
plissimas ciuitates merita, qui nō videt, ni-
hil videt. Quæ posteritas erit tam ingrata,
quæ non mirabitur duo illa propugnacula
pro fidei Catholicæ integritate tuendâ in-
signi Tua munificentia extructa, Creme-
neciæ alterum, Bresciæ alterum, vtrumq;
fortissimis cohortibus ex militia D. Fran-
cisci munitum & prouisum. Celebrantur
passim Tuæ ad populum frequentissimæ
ac utilissimæ cohortationes: desiderat nūc
suauē illam Tuarum cathechesē instilla-

tionē innocentioris ætatis turba, cuius Tu
puritate & cādore, Christi exēplo delecta-
tus, ad eiusdē magistri cognitionē saluber-
rimis præceptis eām ducere consueueras.
Possem hic multa beneficētiæ Tuæ dome-
sticorū officiorum, Sacerdotij admirabilis
exempla cōmemorare, ex quibus nouum
splendorē accepit charissima Tibi Luceo-
ria. Sed me ad se rapit quā multorum in Te
oculos conuertis Senatorij honoris ampli-
tudo, ad quam Tu excellenti animo ingre-
sus, nihil optabilius arbitrabare, quām vti-
litati & dignitati Reipub. consulendo à ci-
uibus bonarum partium diligi. Nec id fu-
it Tibi difficile qui nullum existimasti Tu-
um commodum aut decus quod cum vni-
uersorum bono aut ornamento non con-
iunxisses. Vt enim materies ad exardescē-
dum apta igni admoto facile cōcipit flām-
mā; ita generofus animus Tuus ad pro-
spiciendum multis bene antea compara-
tus, quauis occasione in ciuilis virtutis lu-
culentum ignem assurgebat. Nempe vt
iste

iste qui à nobis cōspicitur dux & modera-
tor luminum aliorum sol, non expectat cu-
iusquam vota vt exoriatur; sed illico lucem
suam diffundit, & in oculos omnium in-
currit: ita Tu nunquam expectabas eorū,
qui Tuo præsidio aut auxilio indigebant,
supplicationem aut postulationem, sponte
occurrebas cum beneficiorum seminibus.
Factum igitur vt in omniū animis impref-
sa benevolentia bonum virum, bonum E-
piscopum, bonum Senatorem Te appella-
ret. Sapientiæ Tuæ, grauitatis, magnitu-
dinis animi, quām constans opinio? quoti-
es enim Te in aliquem conuentum ciuium
necessitas Reip. euocauit, quanta animo-
rum attentio? quantum silentium? quæ
authoritas? quæ religio Tuam orationem
subsecuta est? In comitijs Regni diligen-
tissimè quisq; inquirebat, quo die dicturus
esset Szyszko v Episcopussentētiam;
vbi res diuulgata fuit, nullus Tribunorum
circulus aspiciebatur, nulla indicebatur iu-
diciarum celebritas, deserebantur priua-

ta omnia negotia, occupata ante Tuum ad-
uentum subsellia, completum illud maie-
statis, amplitudinis, publici consilij domi-
ciliū, erecta in admirationē grauissimorū
virorum corona, disertissimus quisq; ad au-
diēdum cum incredibili studio adest prō-
ptissimus. Neq; vlla erat tanta inuidia, quæ
orationi Tuæ omni rerum genere cumula-
tæ audientiam subduceret, quæq; dum res
maximas atq; grauissimas voce, memoria,
consilio, ingenio sustineres, non magis illas
oculis vidisse quā audisse testaretur. Nun-
quam Tu gratiam libertati dicendi prepo-
suisti, nunquam à publico bono ad priua-
tum aliquem affectum deflexisti, nullę mi-
næ, nulla pericula ab Ecclesiasticæ digni-
tatis propugnatione Te abripuerunt, nulla
priuata amicorum officia, ab eo quod vtile
omnibꝫ censuisti abduxerunt. Hærebat
Tibi semper nobile illud enthymema in
memoria: Si honestas, si dignitas patriæ id
exposcit, faciendum; sin secus, vitâ & san-
guine salus atq; libertas ciuitatis defendē-
da est.

da est. Recte enim sentire, prudentiam ha-
bet; at quod sentias bene, liberè explicare,
& præterea fortiter facere, hoc demum sa-
pientem, omnibusque virtutibus cumula-
tum Senatorē ostendit. Itaque cùm in illa
virorum magnorum frequentia, sapientiâ
Cæsares, studio libertatis Brutos, magna-
nimitate Scipiones, ardore in Ecclesiæ bo-
num Ambrosios, non imitareris, sed expri-
meres: neq; fides Tua custodem, diligen-
tia speculatorum, sapientia exploratorem
posceret, populus Te vniuersus arctiori be-
nevoletiâ complexum in admiratione iam
& veneratione cœpit habere. Quoniam
vero difficile est, eo quod in ciuitate splen-
didissimum videtur, aliorum oculos non
offendere, Tu comitate Tuâ, facilitate adi-
tus, humanitate, mansuetudine, honoris
splendorem temperasti; vt quod ex se inui-
diosum & austерum fuerat, Tuis præclaris
actionibus gratiosum & nimis concinnum
esset. Quibus ornamentiis Tuis excitatus
sapientissimorum collegarum Tuorum or-
do, com-

do, communi consilio, communibus sententijs, eam Tuæ virtuti obtulit materiam, ex qua sibi maximæ gloriæ monumentum, non hac nostrâ inclytâ Repub. sed orbis Christianorum finibus terminandū extruderet. Quid ita cōpendiarium ad summum gloriæ culmen; atq; sudore & incommodo proprio, alijs ocium, dignitatem, voluptatem quærere: Tu certè Regno huius florētissimo, & multis (quod faxit Deus omnipotens) alijs quæsiuisti. Quod enim SERENISSIMA CONSTANTIA, maiestate virtutum diuinarum Regnum hoc illustrauerit, quòd prauas multorum hominum spes & consilia præceperit, quòd minore discrimine sumi principem è Regio sanguine, quàm in alienis terris quæri docuerit; Tibi, Magne Senator, eam securitatē, & fælicitatem nostram debemus. Te Orationem antiquissima Regum & Imperatorū domus Austriaca, non ex Polonia missum; sed quasi de celo lapsum intuebatur Tuam Demostheneam grauitatem, copiam, & splen-

splendorem Tullianum admirati Regum
Reges, SIGISMUNDO III. cunctisq; Poloniæ
ordinibus, hæc quibus iam, Dei beneficio,
œculos nostros recreamus, Imperij huius
nobilissimi munimenta firmissima conces-
serunt. Eterit qui facto huic splendidissi-
mo intuideat æternitatem? quid est in quo
Reipub. plūs prodesse potuisti? quid aut sa-
luti fortunisq; ciuium magis accommodatū
aut finitimorum votis optabilius potuit ac-
cidere? Quis enim scit, annon Septemtrio-
nes, Oriëtes, & alij tractus terrarum spaci-
ofissimi (Deus omē accelera) nostris gloria-
buntur WŁADISLAIS, CASIMIRIS, ALBER-
TIS, CAROLIS, ALEXANDRIS, qui Diuorum
progenitorum suorum gloriam & fortunā
imitati, leges & iura dicent potentissimis
nationibꝫ. Quām tum erit iucundum audi-
re SZYSZKOVII Episcopi sapientem & glo-
riosam legationem, tam excellens bonum
populorum multitudini comparauisse. Nō
potuit optimus REX exterorū Principum

G.

illu-

illustriſſimis teſtimonijs honoratam virtu-
tem ſui Legati inornatam ſpectare. Cūm
enim intelligeret tantum eſſe præſidij &
ornameſti cunctis hominibus in Tua in-
dustria, bonitate, doctrina; in altioris ſub-
ſellij honorem Te vt ascenderes inuitauit,
viamq; fecit illuſtriori virtutum Tuarum
lumiñi in Epifcopatu Plocensi. Quibus
Te votis, aut gratijs ad tuendam veterem
religionem incitatiffima illa Prouincia ex-
cepit? qui stupor, qui obtutus animorum?
quæ admiratio non oſtentata, ſed ſolidæ
magnificentia, non fucati ſed veriſſimi ex-
preſtantiffimis actionibus Tuis ſplendoris?
Vt Te hominem æquifſimum, atq; ab om-
ni cupiditate remotiſſimum, vt virtutis &
dignitatis quocunq; loco poſitæ laudato-
rem & promotorem cognouerunt: quibus
non officijs aut ſtudijs pro Tuo cultu de-
certarunt? Vix ſalutasti Tuam Plociam, &
iam nemo eam aſpexit, quin ſtatim libera-
litatis, beneficētiæq; Tuæ illuſtre aliquod
ſignum aſpexiſſet. Tu Capituli dignitatē,

litera-

literatissimis & Ecclesiæ utilissimis viris
auxisti, Tu Ciuitatis pietatem Patrum So-
eietatis IESV inductione feruentiorem red-
didisti, Tu multis Ecclesijs propè inclina-
tis, & desperatis, liberalem manum porre-
xisti, Tu optima quæq; ingenia saluti, utili-
tati, dignitati plurimorum locorum in do-
ctissimis Collegijs saginasti, multorum ca-
lamitatem, necessitatem, fortunam, liben-
ter vidisti, leuâsti, recreâsti: nec in quen-
quam potestatem Tibi datam esse, nisi ut ei
profuiisses, credidisti: vt apertè iam dice-
rent Tui Plocenses: Etiamsi temporibus
illis viueret noster Episcopus, quibus exu-
labat ònis improbitas, frugi & bonus vtiq;
nominaretur. Quid cùm illa pestis imma-
nis & importuna militaris insolentiæ gras-
faretur, quæ peñimo exemplo Rempub:
apud nullam posteritatem curabili vulne-
rauit, effuso in castris sine vlla religione
malè concepti voti furore, in ciuitatibus
timore, in campis vastitate, in omni sede
ac loco, ferro ac flammâ: quæ Tua cura &

solicitudo in miserorum afflictam fortunā
fuerat? Fugiebat ab oculis Tuis somnus,
dum & oves Tuas lacerari, & maiestatem
Reipub. contaminari dolentissimē aſpice-
res; erat tamē Tua grauitas, atq; animi cel-
ſitudo tanta, quæ in illis tempeſtatum fu-
rijs quietem, in tenebris lucem, in pericu-
liis constantiam, in obscuritate ſplendorem
integrum conſeruaret. Cedere debuit cō-
ſtantissimo vultui, concitatissimę orationi,
corroborata ſcelere audacia, rationi teme-
ritas, pietati in patriam immanitas: non la-
bori, non ſumptui pepercisti, omni inge-
nij atq; consiliij Tui vi contendisti, ut quam
primum Reipub. dignitatem, Ecclesiæ li-
bertatem, ciuibus tranquillitatem, Princi-
pi maiestatem reſtitueres. In illa demūm
rerum, temporumq; perturbatione cogno-
uimus, ciuitatis integritatem ſtare fortium
& ſapientum virorum industriā, consilio,
autoritate, quando Tu cum alijs principi-
bus viris, ex tanto diſcrimine Rempub. in
priorem ſtatum vindicāſti. Iam nō ita tor-
quebamur

quēbamur veteris memoriæ, disciplinæ,
fortitudinis, sapiētiæ, virorum summorum
desiderio: postquam Te prudenter, fide-
liter, laboriosè, rem summam curare in-
telleximus. Non enim elatis funere illis an-
tiquarū familiarum maculis ab opere des-
isti; sed Te totum ad componendos, cor-
rigendos, & instaurandos mores ciuium
contulisti, multorum tumorem æ quando,
libidinem extinguedo, cupiditatem fræ-
nando. Quem enim videbant in loco illu-
stri modestissimum, eius rationi, exemplo
non obtemperare nefas esse cuncti arbitra-
bantur. Nulla fuit laus in Repub. illustris,
cuius Tu non princeps: nullum in Eccle-
siam insigne meritum, cuius Tu non autor
aut socius: nullus vir rerum magnarum stu-
diosus, cuius Tu non simillimus: nulla gra-
uior conuentio, cuius Tu nō fueris præses.
Optimo cuiq; semper fauisti, fauisti? imo
quemcunq; fortem, strenuum, probum
& egregium virum videbas, ad Reipub. ad
Ecclesiæ regimen, consilium, laborem vi-

pertraxisti. Hæc tibi erant artes, quibus Re-
giam voluntatem flexisti, hæc studia, qui-
bus principum virorum benevolentiam
collegisti, hæc admiranda Tua facinora, in
quibus omnium oculi & obtutus defixi fu-
erunt: hi laudis & gloriæ stimuli, qui ad e-
um honorē, quo lætissimus ac fælicissimus
perfueris, viam Tibi aperuerunt. Quod
si nobilissimæ Diœceses quas administrasti
omnem suarum fortunarum accessionem
Tibi in acceptis cum incredibili gratitudi-
ni studio referunt: si Te omnium suorum
ornamentorum in vrbibus, sedibus, tem-
plis, colonijs, & quæcunq; ex antiquorum
Antistitum beneficijs habent, donatorem
& cōseruatorē esse prædicant: quanta de-
bet esse nostra lætitia? quibus nos gaudijs
incedere par est, quorū olim Tuо discessu
relictū desideriū, clarissimo præsentię Tuæ
lumine liberalissimè cōpensas? Quod vn-
quam adeo salutare sydus illuxit? quæ lux
tam benefica ortu suo fælicissimo ita afful-
sit? qui aspectus mentes mortalium tantū

recre.

recreauit voluptate , atq; splendidissimus
honor Tuus ex Cracouieñ. Episcopi altis-
simâ sede, hinc Ecclesiam, illinc Rempub.
exhilarans? Enimuero si sapientissimorum
hominum custodiæ florentissimas vrbes
efficiunt: si animosa & sapiens pietas ma-
gnarum Ecclesiarum latissima extendit
pomeria, in quam spem nos rapi decet, vbi
Te virum doctissimum , humanissimum ,
fortissimum , consideratissimum , ornatis-
simum, in custodem , pastorem , protec-to-
rem, defenforem, & exemplum nostræ ci-
uitati datum esse intuemur? Videre iam est
virtutem Tuam in altiore locum euectam,
maiores sumere cogitationes , illustriores
ex actionibus dignis Te, dignis Repub. co-
gitare triumphos. Video florem antiquum
populi Cracouieñ, probitatem, fortunam,
nomen, Té ad nos redeunte redire , corru-
ptos & contaminatos mores ante auditam
sententiā in exilium properare: video cle-
ri auctam religionem & integritatem , ci-
uium candorem duplicatum, luxuriam ex-
tinctam,

tinctam, precium diminutum, leges & cō-
suetudines bonas in pristinum locum redi-
re; perditorum hominum profligatissimas
necessitates decrescere. Time o hæretica
impietas, vbi vbi es, plenum animi, plenum
prudētiæ, plenum inflāmatæ charitatis An-
tistitem: vitæ periculo, inuicta animi con-
stantia contra impietatem insaniæ & temeri-
tate armatam solet dimicare. Nemo ex do-
mesticis, nemo ex ouili suo improb⁹, aut in
aliquā turpititudinē piec⁹tus reperiatur: se-
uere enim omne dedecus vlciscitur. Inno-
cētia, probitas, modestia, continentia, gra-
uitas, bonæ literæ, omnis deniq; honesta-
tis ornamenta, sub hoc Principe iucundi-
tatem, decus, precium, honorem propriū
habebunt. Hoc ex isto vultu, ista animi ma-
gnitudine, ista oculorū serenitate, nō diui-
namus, sed spem certā cuiq; bono pollice-
mur. Fruere iam excellenti dignitate atq;
fortunā Tuā Princeps optime, & cùm om-
nes alios ad Tui ingressus festiuitatem cele-
brandam prouocas, nos quoque à magnis

Ponti-

Pontificibus, à potentissimis Regibus Tuæ
fidei ac tutelæ cōmissos iube optima quæ-
que expectare. Suscipe curam Tuæ Acā-
demiae Cancellarie, & pro Tuâ sapientia,
non solum ne violata integritas legum no-
strarum detrimento afficiat Rempub. vi-
de, sed vt præterea iudicio Tuo probata,
bonitate recreata, testimonij ornata lau-
de & gratia suorum, quām diutissimè flo-
reat, prouide. Tibi hæc gloria relicta est,
qui ad Maximorum præcessorum Tuo-
rum laudem, literarum præstantiam ad-
iunxisti, vt & nostræ literæ, & omnes po-
steritatis linguae loquantur: Quod Cra-
couiensi Academiæ bonitas aliorum polli-
cebatur aut munificē tia cœpit exequi, MAR-
TINI SZYSZKOVII Episcopi laudatissimi be-
nevolentiam, liberalitatem, sapientiam,
cum sempiterni nominis sui immor-
talitate perfecisse.



Uitvaart begeleide

